

1973

P O L E M I C I.

1974

nerando Viro — Ecclesiae Itzeboensis et vicinarum in Holsatia Praeposito &c. Initium: *Literae tuae mihi 17. Martij redditae sunt, ad quas, si citius allatae fuissent, maturius respondissem &c.* Subscriptum: *Rostochij 23. Martij. Anno 69. L. B.* Narratur hic tota *Rostochiensium* cum supra dicto *Beato* seu *Saligero* Controversia, qui, quod ex vi verborum Consecrationis jam ante usum verum Christi corpus in Sacramento existere doceret, tandem 16. *Octobr.* h. a. loco migrare iussus est. Plurima ad cognoscendam hanc Controversiam subpeditat quidem *Job. Mollerus Cimbriae lit. T. II. p. 46. et 58.* Epistolae tamen nostrae notitiam, ut videtur, nullam habuit.

IV. fol. 21. *Epistola totius ministerij Rostochiensis ad Lubecense de D. Luca scripta.* Male audire coeperat *Lubecae Backmeisterus*, quasi is quoque sit eorum numero, qui sub praetextu *Augustanae Confessionis* errores alunt et defendunt, et praesertim, quod magna arte tegere sciat virus *falsae doctrinae Sacramentorum, de praesentia Christi in cana.* Itaque *Συμύουσαι* hisce literis eum purgant, quarum initium: *Immensum et inenarrabile dei beneficium est &c.* Datae sunt 15. *Calend. Aug. Anno 1566.* et a *Mollero* non memorantur.

V. fol. 23. absque inscriptione *Literae Ministerii Hamburgensis* responsoriae, ad *Rostochiensis* datae, e quibus adparet, *Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

hos eadem formula *Hamburgi* causam *Backmeisteri* egisse, qua *Lubecae.* Inter alia graviter: *D. Back. paucissimis inter nos notus est, aliqui semel atque iterum tantum cum illo collocuti sunt, nonnullis, et quidem maiori parti ne nomen quidem illius auditum et notum fuit; qui fieret, ut nos de illo calumnias spargeremus, aut sparsis temere fidem haberemus?* Non tamen dissimulant, aliquibus suorum auditum: *D. Lucam satis fuisse clementem et faventem Adiaphoristis, nec magnopere ferventi zelo ad contradicendum illis exarsisse.* Ineunt *Literae: Accepimus literas vestras, quibus grauiissimam querelam ad nos defertis &c.* Datae: *Hamburgi calendis Augusti Anno 1566.* Itaque biennio ante turbas *Job. Beati.* Nihil de illis *Mollerus.*

VI. fol. 29. usque ad finem *Adversaria* de variis *Controversiis* religiosis temere congesta, maxime de *Conatu Lubecensium, Hamburgensium, Luneburgensium et Brunsvicensium* initio anni 1557. transigendi inter *Phil. Melanchthonem* et *M. Flacium*, videlicet *Articuli Philippo* propositi cum ejus *Responsis*, ut extant in *Epistolis Studiosor. Witteberg.*

DV.

Codex chartaceus lat. Sec. 638
XVI. Folior. 61. 4. continet tacito Autoris nomine Satiram admodum scurrilem inscriptam *Bal-
C c c neum*

1975

C O D I C E S

1976

*neum Monachorum. Praemittitur
carmen breve Asclepiadeum ad
Emptorem, et Jambicum ad Fu-*

*rem. Initium e mente Copernici
est:*

*Pboebe sator lucis, mundique immobile lumen,
Terra qui rapidum reuolutæ conspicias orbem &c.*

nec spernenda Poetae vena, nisi tantum limi veheret. Quarum is partium fuerit, difficile statuas, ut enim Monasticen omnibus conuiciis proscindat, Pontificemque insuper habeat, *Petrum* tamen de *Soto* O. P. qui *Carolo* V. con-

scientiae arbiter fuit, *magna pietate Virum* adpellat, dumque Principibus autor fit, ut Monachos contra *Turcas* mitterent, aut remigare, aut cum feris certare iuberent, ita de *Ferdinando* I. canit:

*Tu Fernande pater patriæ, Rex inclyte, regno,
Æterna triplex quod dat tibi Conditor arcis,
Qui digne fasces validos, molemque Quirini
Suscipis Imperij, magnos et fratris honores,
Consilijs accede bonis.*

Ita et alios Principes catholicos reverenter habet; summis tamen elogiis *Maximilianum* II. tunc Regem *Bob.* tollit. Accedunt sub finem: *Canticum Autoris* sapphi-

cum, *Author ad Poetas* phalaecio, *Ad Bibliopolam* jambico dimetro, *Ad Typographum* senario et dimetro. En, quos contribules excitet:

*Si quid forte tibi vacet Stigeli (Joh.)
Fennensis studii Poeta magne,
Aut fortasse tibi Sabine (Georg.) Vates
Qui Musas Oderaë colis benignas
Francforti, aut tibi Fabrici (Paul.) Viennaë, &c.*

In terris *Austriacis* illum scripsisse multa suadent, accensendum item Factioni illi, de qua *Greg. Pontanus* Cancell. Elect. *Sax.* in Epistola apud Ill. *Seckendorffium* L. III. Sect. 7. §. 68. p. 198. *Populus ille poeticus pietate caret, et disciplinam averfatur.*

DVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 634 XVI. Folior. 86. est aliud ejusdem *Balnei Monachorum* Exemplar elegantius scriptum, a quo tamen absunt omnia *Παγγελια*.

DVII.